



Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE CHRISTO CAPITE|| TOTIVS ECCLESIAE,|| QVINQVE LIBRIS|| explicata.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

XIX. An filius Dei sit Autotheos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53845](https://nbn-resolving.de/urn/resolver.pl?urn=urn:nbn:de:hbz:466:1-53845)

atnisi illa Maxima esset vniuersaliter vera in rebus finitis, non propterea deberet esse vera in Deo infinito: nam si anima rationalis, quia spiritualis, naturaliter est in pluribus partibus corporis realiter distinctis, nec valet iste syllogismus manus & pedes sunt idem loco cum anima; sunt ergo in unius loco inter se: quanto magis Deus, qui est infinitus spiritus, poterit esse simul in pluribus suppositis.

Ad TERTIUM nego esse syllogismum expositoriū: nam (hæc essentia) habet se per modum termini communis, vel etum est. Quare sicut non valet, aliquis homo est Petrus, aliquis homo est Paulus, ergo Paulus est Petrus, ita non valet hæc essentia est Pater, hæc essentia est Filius, ergo Filius est Pater. Atq; hactenus quidem de distinctione Trinitatis generatim differuimus. Nunc speciatim de distinctione Patris à Filio differemus, quæ erat pars quarta propositi disputationis.

C A P V T X I X.

An Filius Dei sit autotheos. Istes Deus

FAT NOVA quædam hærefis, quæ nescio aut hinc an solū in verbis. Genebrardus enim lib. I. de Trinitate, refellit ex professo hæresim quam vocant autotheanorum, id est, eorum, qui dicunt, Filiū esse Deum à seipso, non à Parre, & hanc hæresim tribuit Calvino & Bezae. & in præfatione eorum librorum suscipiunt Franciscum STANCARVM auctorem primum huius hæresis fuisse. Gulielmus etiam Lindanus in secundo Dialogo, qui inscribit, Dubitantius, & Petrus CANISIVS præfatione libri S. Ioanne Baptista, eundem errorem Calvino attribuunt. Et quo errore aperte sequitur, aut Filiū non distinguitur naturaliter à Patre, qui est error Sabellij; aut certè distinguendam naturam, & non esse Filium Dei, sed aliud quoddam corporiū; qui error accedit proximè ad Manicheismum, quem igitur quid de tota hac re sentiam.

PRIMVM in Stancaro nihil tale inuenire potui, fateor men, men non legisse omnia ipsius opera, sed ea solū, quæ de Trinitate, & mediatore scripsit. CALVINVM existimo, quod ad modum loquendi, sine dubio errasse, & dedisse occidit.

nem, ut de illo scriberentur, quæ scripta sunt à nostris. Nam lib. I. Inst. ca. 13. §. 19. ita ait: *Nunc scriptores Ecclesiastici Patrē Filij principium esse tradunt, nunc Filium à seipso & diuinitatem & essentiam habere afferuerant.* Et infra: *Ergo cūm de Filio sine Patre respectu simpliciter loquimur, bene, & propriè Filium à se esse afferimus.* Et §. 23. de Filio loquens: *Quomodo, inquit, creator, qui omnibus esse dat, non erit à seipso, sed aliunde essentiā mutuabitur?* Et idem Caluinus in epistolis ad Polonus, & in lib. cōtra Geatilem, passim afferit Filium esse *avtōθeov*, hoc est, à seipso Deū, & impropriè, & dure etiam dictum esse in symbolo, Deum de Deo, lumen de lumine.

Sed quanquam hæc ita se habeant, tamen, dum rē ipsam excutio, & Caluinī sententias diligenter considero, non facile audeo pronunciate, illum in hoc errore fuisse. siquidem docet Filium esse à se respectu essentiæ, non respectu personæ, & videtur dicere velle, personam esse genitam à Patre, essentiam non esse genitam, nec productam, sed esse à seipso, ita ut si à persona Filij remoueas relationem ad Patrem, sola restet essentia, quæ est à seipso.

Cur autem Caluinum ita sensisse credam, exponā breuiter, non tam ut illum defendam, aut excusem, qui se tot suis hæresibus indignum reddidit non modò defensione, sed etiā communione Catholicorum, quām ut ostendam nō esse opus immorari in ista quæstione, cūm in re non sit quæstio.

PRIMO Caluinus fatetur lib. I. Inst. cap. 13. §. 13. vnam numero naturā esse in tribus distinctis personis, & ibi dicit Filium à Patre genitū. At certè non est intelligibile, quomodo Filius sit à Patre, & habeat eandem naturam cum Patre, & non habeat illam à Patre, nec enim Filius dici potest sola relatio, sed aliquid subsistens in natura diuina.

Præterea ibidem §. 23. apertè dicit, essentiam à Patre Filio esse communicatam: *Si in essentiā, inquit, est discretio, respondeant, an nō cum Filio eam communicauerit?* hoc Verò non potuit esse ex parte, quia dimidium fabricare Deum nefas esset. Adde, quod hoc modo fæde lacerarent Dei essentiam, restat & tota, & in solidum Patris & Filij sit communis. Hæc ille, qui cursus §. 25. dicit, Filium esse sapientiam genitam, & Patrem esse fontem Deitatis.

DENIQUE qui afferunt Filium à seipso habere essentiam,

•

ideo

ideo errant, quia coguntur vel facere Filium ingenitum; eandem personam cum Patre, vel multiplicare essentias, certe distinguere essentiam à persona realiter, & sic introducere quaternitatem. At Caluinus lib. I. Inst. cap. 13. §. 16. Filium asserit genitum à Patre, & unam numero ponit divisionem in tribus personis. Item §. 23. docet, essentiam Patris filio communicatam esse. deniq; §. 25. non distinguit essentiam à personis realiter, sed solum ratione.

S E C U N D O probo ex causa, quæ impulit Caluinum hanc sententiam. Causa enim fuit, quia Valentinus Genesius perpetuus etabat solum Patrem esse aucto^rem, & per hoc nomine intelligebat solum Patrem habere essentiam vere divinam, & increatam: Filium autem, & Spiritum sanctum habere aliam essentiam productam à Patre, & ita quod essentiam eos non esse autotheos. Caluinus igitur occurreret volens Valentino contrarium asseruit, nempe Filium esse autotheon quoad essentiam, id est, in eo consensu quoad Valentino negabatur.

T E R T I O probo ex discipulorū eius doctrina. Nam Christus per ineffabilem totius essentiae communicationem aeterno: & ramen ipse etiam cum suo magistro facit. Cui ad Polonos defendit autusian Filij, & sic explicatio & Communi sententiam: Non negamus, inquit, Filium habere sicut am à Deo Patre, sed essentiam genitam negamus; qua hanc sententia, non video, cur Catholica dicenda non sit.

RESTAT, ut modum loquendi Caluinii, qui dicit Filium habere à se essentiam, simpliciter esse repudiandum, & contrario modo loquendum esse demonstremus. PRIMUS iugularis. Pater dedit Filio vitam habere in semetipso. Et Ioh. 5. Vito propter Patrem. At si vitam dedit Pater Filium, & essentiam, idem enim Deo est esse & vivere. Item Ioh. 3. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Cur non & efficiat me Pater loquor in modo, & quia audiui à Patre meus. Sicut non potest intelligi quomodo Pater tradiderit Filio vitam, nisi tradendo essentiam, ut supra ex Augustino docuimus.

Pugnat SECUNDUM cum Conciliis. Nam omnia ferè Concilia post Nicenum receperunt Symbolum Nicenum cum illis verbis: *Deū de Deo, lumen de lumine, ut Sardicense, Constantinopolitanum I. Ephesinum I. & omnia alia.* At profecto est intolerabilis Caluini superbia, quia eam formam loquendi reprehēdit, quam omnia Concilia primaria approbat. Nec dissimilis est in hac parte Caluinus Arianus. Nā in Concilio AQUILIENSI S. Ambrosius nunquam potuit extorquere a duobus hæreticis Arianis, ut dicerent Filium esse Deum verum de Deo vero. semper enim illi respondebant, *Filium esse verum unigenitum, veri Dei Filium, & similia.* nunquam autem verum Deum de Deo vero, etiamsi forte centies interrogati sint. & à Caluino, in Concilio Lausanensi nunquam potuisse extorqueri, ut fateretur Filium esse Deum de Deo, refert Petrus Carolus, qui interfuit, in epist. ad Cardinals Lotharingie.

Pugnat TERTIO cum doctrina Patrum, Nam Gregorius Thaumaturgus in suo symbolo dicit Filium esse Deum ex Deo. Et ante cū Iustinus initio lib. de recta fidei confessione. *Pater, inquit, innascibiliter habet essentiam, Filius nascibiliter.* Epiphanius hæres 69. vocat Filium Deum de Deo. Hilarius initio lib. 4. de Trinit. *Nihil, inquit, nisi natum habet Filius,* id est, omnia haber propter nativitatem. Augustin. tract. 31. in Ioan. *Quidquid, inquit, est Filius, de illo est, et ulla est Filius, i-deo Domnum Iesum dicimus Deum de Deo, lumen de lumine.*

Pugnat QUARTO cum ratione, & cū ipsa Caluini sententia. Nam si ipse asserit Patrem cōmunicasse Filio essentiam, quomodo potest verè dicere Filium habere à se essentiam? Item, si dicit, Filium esse productum à Patre, quomodo potest negare essentiam, & vitam in Filio esse à Patre? nec enim Filius dicitur sola proprietas, sed integra hypostasis.

Addit, quod rationes eius nihil valent. Nam PRIMO Caluinus dicit se moueri Patrum auctoritate, qui interdum dicūt Filium à se ipso esse. Citat aut August. in Psal. 109. & Cyrill. li. 7. Trinit. qui dicunt, Patrē & Filium esse unum principiū. Ex quo videtur sequi tam Patrem, quām Filiū carere principio, & proinde esse à se. Itē citat Augustinū, qui in Psal. 68. initio, & tract. 39. in Ioan. ait, *Filiū ad Patrem dici, Deum aut ad se ipsum, sicut Pater ad Filium dicitur Pater, ad se dicitur Deus.*

Sed ista argumenta nihil concludunt. Nam Patrem & filium esse dicimus unum principium respectu creaturam, cum quo tamen cohaeret, ut Pater sit principium in principio, Filius principium de principio, ut idem Augustinus explicat tract. 39. in Ioan. ubi exponens illud: Tu quia es principium qui ego loquor eobis; dicit Filius esse principium de principio, sicut est Deus de Deo, lumen de lumine. Nec idem, Filius esse Deum a se, & Deum a se. Nam illud primum significat nomen Dei non esse relativum, & tamen concreto Filio, & hoc Augustinus dicit, & verum dicit, quia etiam Filius sit relativum, tamen est relativum subsistens, & distinctum, & proinde essentiam includens, quae ab aliis est. At vero Filius esse Deum a se, significat Filius deus, & Filius Dei, sed ingenitum, quod Augustinus nequam dicit, sed Calvinus falsò illi attribuit.

S E C V N D A ratio Caluini est, quia si Filius non habere se essentiam, esset precario Deus, immo Deus titularis de ipsa simili creaturis, quae aliunde suū esse accipiunt. Respondeo, hoc argumentū bene concludere contra Gentilem, ideo dicebat Filius non habere a seipso essentiam, quia potestabat ipsum habere essentiam quandam creatam a Patre, contra nos nihil valent illæ consequentiae; nam enim dicimus, Filius a Patre habere essentiam, tamen dicimus tam a Patre, per necessariam, & naturalem communicationem, & non esse precario, sed naturaliter Deum. Item dicimus, a Patre accipere eandem essentiam, quam habet Pater a deo non esse titularem, sed verum & realem Deum.

T E R T I A ratio est, quia Filius dicitur Iehoua sicut hoc, hoc nomen significat ipsum esse eum fontē essendi, & proinde a seipso est quoad essentiam. **R E S P O N D E O**, hoc argumentum contra Gentilem bene concludere, quia filius est fons essendi, non ergo habet essentiam derivatam a essentia, sed habet illam unam essentiam, a qua pertinentes essentiæ, tamen sicut dicitur Deus de Deo, & principio de principio, sic potest dici fons essendi de fonte eiusdem. **B. A U G U S T I N U S** dicit in lib. 7. de Trinit. cap. 2. & lib. 14. ubi ait; Filium esse Deum de Deo, lumen de lumine, spiritum de sapientia, essentiam de essentia; Et tamen Pater, Filium unum esse Deum, unum lumen, unam sapientiam, unam

essentiam. Vbi tamen obseruandum est eum accepisse nominis abstracta pro concretis, cum dixit essentiam de essentia, sapientiam de sapientia.

ADDENDVM est hoc loco tam Patrem, quam Filium posse dici αὐτόθεον, sed alio sensu quam acceperint Valentinus, & Calvinus hoc vocabulum. Nam si αὐτόθεον significaret eum, qui est Deus a seipso, ut illi existimant, certe nec Pater, nec Filius posset dici αὐτόθεον, nam Filius non est Deus a se, sed a Patre, Pater etiam non est Deus a se, sed a nullo. esse enim a se, est productum esse a se, Pater autem est simpliciter ingenitus, & improductus. Nec probanda est forma loquendi. LACTANTII, qui lib. I. cap. 7. dicit, Deum a seipso esse procreatum. at potest αὐτόθεον significare eum, qui est ipse Deus, id est, verissime Deus, quonodo dicimus, haec est ipsa veritas, & Graci dicunt αὐταληθεία. item αὐτάληθος proprius, seu germanus frater, αὐτέξσον proprij juris. & in hac significatione Epipanius hær. 69. vocat Filium Dei αὐτοτέλειον, & αὐτόθεον, id est, verè perfectum, & verè Deum.

C A P V T XX.

De processione Spiritus sancti a Filio.

RESTAT pars postrema disputationis de distinctione personarum, in qua explicanda est distinctione, & processio Spiritus sancti a Filio. quæ controversia necessariò tractanda est tum propter Armenos, Gracos, Ruthenos, Moscos, & alios qui adhuc in errore perseverant, tum etiam propter nouos Arianos. Nam Valentinus GENTILIS prothesi 36. & 37. solum Patrem vult esse essentiatorem Filij & Spiritus sancti.

Et quoniam Graci non solum non credunt Spiritum sanctum a Filio procedere, sed etiam conqueruntur Latinos ad symbolum addidisse particulam (*filioq;*) sine consensu ipsorum: Tria tractanda erunt. PRIMO, de origine huius hæresis, & schismatis, & de tempore illius additionis factæ. SECUNDО, an Spiritus sanctus a Filio procedat. TERTIO, an